

Nf 14



DISSERTATIO EXEGETICA
DE
REGENERATIONE
AD
SPEM VIVAM
VITAE AETERNAE,

Ab Apostolo Petro Epistola I. Cap. I.

v. 3, 4. 5. descripta:

Quam,

IN REGIA FRIDERICIANA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENBURG. DUCAT. MAGDEB. GUBERNAT.

& reliqua,

PRAESIDE

JOACHIMO LANGIO,
SS. THEOL. PROF. PUBL. ORDIN.

Die XIX. Dec. hujus exeuntis MDCCX anni,

responsione publica

defendet

LEVINUS Nagel / Gardelegiensis,
Sacrarum Litterarum Cultor.

HALÆ MAGDEBURGICÆ

Litteris CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.

VIRIS
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS ET CON-
SULTISSIMIS,
DOMINIS CONSULIBUS,
CAMERARIO
AC
SENATORIBUS,
CIVITATIS PATRIÆ, GARDELEGIÆ,
SPECTATISSIMIS,

*Patronis ac fautoribus suis ætatem
colendis,*

Istas gratiæ ac misericordiæ divinæ divitias, de quibus præ-
fens Disputatio agit, sincere apprecatur,


&

Hæc Academicas studiorum suorum primitias;

Eo, quo par est, demissi animi cultu adfectuque

dicat & offert,

RESPONDENS
LEVINUS Nagel.



TEXTUS 1. Pet. I. 3, 4, 5.

Ευλογητός ὁ Θεός καὶ Πατὴρ τῶ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, ὁ κατὰ
τὸ πολὺ αὐτῆ ἔλεος ἀναγεννήσας ὑμᾶς εἰς ἐλπίδα ζωῆς,
δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ χριστοῦ ἐκ νεκρῶν,
εἰς κληρονομίαν ἀφθάρτου καὶ ἀμίαντον, καὶ ἀμάραντον, τετη-
ρημένην ἐν ἑβραίοις εἰς ὑμᾶς,
τὰς ἐν δυνάμει Θεοῦ φερωμένους διὰ πίστεως εἰς σωτηρίαν, ἐτοι-
μην ἀποκαλυφθῆναι ἐν καιρῷ ἐσχάτῳ.

*Celebratus (sit) Deus & Pater Domini nostri Jesu Chri-
sti, qui secundum multam suam misericordiam regenuit
nos ad spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi e
mortuis,*

*Ad hereditatem corruptionis expertem, incontaminatam,
& non marcescentem, adservatam in caelis in nos,*

*Qui potentia Dei custodimur per fidem ad salutem, para-
tam, ut reveletur in tempore ultimo.*

Analysis.

Celebrat Apostolus insignem Dei gratiam, νεοφύτοις
Christianis collatam, & quidem in opere

A 2

REGE-

REGENERATIONIS, descriptæ a causis suis variis,
speciatim a causa

Efficiente, quæ est Deus & Pater Domini nostri I.C.

Impellente, quæ multa misericordia:

Meritoria, quæ est in morte ac resurrectione Iesu
Christi:

Formali, expressa per vocem ἀναγεννήσας:

Finali & *effectu*, qui est vel

Medius, spes viva;

Ultimus, hæreditas, cuius præstantia quatuor
epithetis declaratur:

CONSERVATIONIS, & hinc ortæ perseverantiæ,
cujus indicatur

Auctor, Deus, seu potentia Dei:

Actus, in custodiendo a parte Dei, & perseverando
a parte hominis:

Medium, fides, διὰ πίστεως.

Scopus, æterna salus, ultimo tempore manifestanda.

Sequitur nunc ipsa tractatio exegetica, duabus
constans Sectionibus, quarum prior *Emphasin*,
hic in latiore sensu sumtam, posterior *Paralleli-*
smum præsentis loci exhibet: subjicitur Sectio
tertia, quæ Porismatica est, & expositi loci u-
sum commonstrat. In singulis, uti fert insti-
tuti nostri ratio, erimus breves, iis, quæ ad
rem ipsam non pertinent, hinc plane se-
junctis.

SECT. I.

SECTIO PRIMA

De

E M P H A S I

LOCI PETRINI AC SINGULORUM EJUS
MEMBRORUM.

§. I.



Ausa regenerationis efficiens est Deus, qui quomodo, pro luminis naturalis & supernaturalis ductu, sit agnoscendus, & quid sit, nunc tradere superfedeo, & ad tractationem dogmaticam remitto. Quoniam vero Deus trinunus in salutis nostræ restitutione agit cum certo ordine personarum, sub diversis respectibus in salutis negotio occupatarum, regenerationis opus, quod alias Spiritui Sancto tribuitur Io. III, 5, 6. Tit. III, 5. h. l. ad Deum Patrem refertur. Accipitur enim particula χ inter voces Θεός - πατὴρ commode ἐξηγητικῶς (uti alias non raro, v. g. Matth. XIII, 41. I. Cor. XV, 24. Col. II, 8. Apoc. XII, 12.) ut sensus sit: verus ille Deus, qui est pater. Quemadmodum vero Spiritus Sanctus ab opere regenerationis nequaquam excluditur, sed Pater intelligitur illud perficere per Spiritum Sanctum, unde etiam rogari solet, ut Spiritum largiatur; sic Apostolus vocibus, ἀναγενήσας ἡμᾶς, filios Dei spirituales, seu ἀετιγέννητα θεός φη, notaturus, his quasi in relatione quadam præmittere voluit cælestis ipsorum Patris mentionem: quem quando vocat patrem Iesu Christi, Domini nostri, non tan-

A 3

tum

tum respicit ad characterem illum hypostaticum, quo Deus Pater a Filio distinctus est, sed etiam simul exprimit ἀναλογίαν istam, quæ intercedit inter γέννησιω Filii ipsius essentialem æternumque, & inter γέννησιω filiorum gratiæ, quæ intuitu Filii essentialis & æterni perficitur.

§. II.

Ceterum voce, κύριος, in N. T. de Christo dicta, significatur 1. divina ejus natura ac majestas; siquidem LXX. interpretes vocem יהוה reddere solent per κύριος; 2. opus redemptionis divinum, quo, ut Θεάνθρωπος, & proprius Dominus, der Eigenthums Herr / fideles in peculium, non auro & argento, sed pretiosissimo sanguine suo, sibi adquisivit 1. Pet. I, 18, 19. 3. divina Christi auctoritas ac potestas architectonica in Ecclesiam suam. Ad hoc enim Christus & mortuus est & resurrexit, & revixit, ut & mortuorum & vivorum κυρίωση, sit Dominus, Rom. XIV, 9. κύριος autem voce nomen Dei essentialē יהוה exprimi, inter alia egregie evincit collatio locorum Rom. XIV, 10, 11. & Jes. XLV, 22. seqq. Item confer hunc Jesaïæ locum cum Phil. II, v. 10, 11. ubi dicitur omnis lingua confessura, Jesum Christum esse κύριον, Dominum, יהוה, de cujus majestate propheta c. l. agit. Quæ cum sit emphasis vocis, κύριος, de Christo dicta, mirum non est, neminem Jesum Christum vocare posse, nimirum vera fide & subjectione, κύριον, Dominum, Dominum suum (quemadmodum Thomas Jo. XX, 28. Domine mi & Deus mi!) nisi in Spiritu Sancto, seu ex regenerante Spiritu Sancti gratia 1. Cor. XII, 3.

§. III.

Prius vero, quam commemoret Petrus opus Dei Patris, adfirmat, hunc esse εὐλογητόν, laudatum, celebratum,

tum, celebrandum, prodens adfectus sui abundantiam, qua epistolam, seu epistolam propositæ materiæ tractationem, ab *εὐλογία* & gratiarum actione inchoat, atque ita thematis sui propositionem formula eucharistica exprimit. Quem adfectum, cum re ipsa collatum, quando consideramus, deprehendimus *δείνασιν* vocis, *εὐλογητός*, siquidem *εὐλογεῖν τὸν θεόν*, pro complexu suo emphatico, est 1. eius maiestatem, gratiam ac misericordiam, vera fide agnoscere ac degustare; 2. hunc cordis adfectum pia celebratione & gratiarum actione etiam ore prodere, atque ita majestati, gratiæ, misericordiæ, iustitiæ ac bonitati, eius convenienter de eo loqui; 3. ad hoc pietatis officium, quantum fieri potest, exemplo suo etiam alios accendere; uti hic facit Petrus

§. IV.

Causa, Deum ad regenerationis opus *impellens*, est *ἔλεος*, *miseriordia*, Græcis sic dicta a voce Hebræa *חַסֵּד*, nomine Dei. Est enim Deus ipsa misericordia, ipse amor. Misericordia est gratuitus Dei favor, quo Deus, miseriæ nostræ adfectu tactus, ad nostri e miseria liberationem, seu lapsi generis humani restitutionem, quam tenerrime & efficacissime propendet. Et hoc *ἔλεος* vocat Petrus *πολὸν*, & quidem cum articulo emphatico *τὸ πολὸν*, *miseriordiam illam MAGNAM*. Certe *magna* est a) respectu *magnæ*, immo *māximæ*, & *summæ*, nostræ *miseriæ*, cui medetur: b) respectu *ipsius Dei*, qui cum non solum *κατ' ἐξοχὴν* sit magnus & infinitus, sed etiam purissimus, sanctissimus, iustissimus; magna sane fuit misericordia, qua is ad miseriæ nostræ sordes eluendas & expurgandas sese demisit. Unde recte Siracides c. II, v. 23 *ὡς ἡ μεγαλωσύνη αὐτοῦ, ἔτω καὶ τὸ ἔλεος αὐτοῦ*. Luth. *seine*

seine Barmherzigkeit ist ja so groß / als er selber ist: c) respectu magni actus & effectus, quem exerit Deus per misericordiam in nostri regeneratione, quæ quasi nova creatio est, conjuncta cum reliquis misericordiarum actibus atque effectibus, uti sunt justificatio, *ἰσοθεσία*, unio mystica κ. τ. λ. d) respectu aliorum beneficiorum, præcipue temporalium & naturalium, quæ magna quidem sunt v.g. amissæ valetudinis restitutio, ereptio e periculis, sublevatio paupertatis, aliaq; hujus generis; sed non comparanda cum hoc misericordiarum beneficio, quod illa nobis in salutis nostræ spiritualis & æternæ restauratione exhibet. Præpositio *κατὰ*, *κατὰ τὸ πολὺ ἔλεος*, exprimit causam hanc impellentem, seu principium agendi in Deo.

§. V.

Causa meritoria est *ἀνάστασις ἰησοῦ χριστοῦ ἐκ νεκρῶν*. Hæc autem *resurrectio* intelligitur in complexu suo, seu cum passione & morte prævia, cujus mentionem Apostolus non repetit, postquam illam paulo ante fecerat vocibus: *πάντισ μὲς ἁμαρτίας ἰησοῦ χριστοῦ*. Nec sine emphasi meritum Christi per gloriosum ipsius in vitam reditum describitur; siquidem istestabatur de valore mortis ad peccatorum expiationem, Dei reconciliationem, nostrique justificationem. Etenim ubi Pater cœlestis Christum, sponforem nostrum, e morte, quam pro nobis obierat, dimisit in vitam, multaque gloria coronatum ipse excitavit; eo ipso declaravit, sponsione Christi *ἰλαστικῆ*, per mortem consummata, justitiæ suæ factum esse satis: adeoque æquum esse, ut, capite in vita triumphante, etiam membra futuri corporis mystici, per regenerationem e spiritali morte in vitam restituantur. Neque huic significationi de causa meritoria obstat particula

διὰ

διὰ, non cum Accusativo, quocum coniuncta *propter* significat, sed cum Genitivo constructa, & *per* notans. Et enim utique in vocibus, *διὰ ἀνάστασις Ἰησοῦ χριστοῦ ἐκ τῶν νεκρῶν*, simul respexit ad ipsam regenerationis indolem ac modum, ut mox percipiemus.

§. VI.

Causa formalis, seu ipsa regenerationis ratio, exprimitur verbo *ἀναγενήσας*: quo notatur

a. *Respectus ad generationem naturalem*, isti oppositam; quemadmodum apud nos Germanos τὸ *der Geburt* opponitur, aut, si mavis, subordinatur, τὸ *Wiedergeburt*. Arguitur ergo generatio nostra naturalis, nostraque natura, generando ac nascendo accepta, tantæ corruptionis, quæ nos a regni Dei aditu, Deique consortio, arceat, ideoque demenda sit generatione quadam nova ac spirituali, seu regeneratione:

b. *Emphatica regenerationis indoles*; utpote quæ

a. *passiva*, in foliis Dei viribus posita, citra ullam cooperationem e nostra parte. Nam quemadmodum naturalis fœtus non seipsum producit, sed producit, ad sui productionem nihil conferens; ita etiam fœtus novus, seu supernaturalis novi hominis. Deo itaque debetur omnis laus & honor:

β. *realis, seu solidissima*, quæ quidem novam homini substantiam non adfert; nihilo tamen minus nec imaginaria est atque inanis, sed efficacissima, intimam eidem substantiæ mutationem & sanationem conferens, complexa translationem e statu dominantis naturæ, atque iræ, in statum gratiæ. Et ad hanc translationem, generatim sumtam, pertinet

B

conver

conversio, seu accensio fidei, tamquam nova vitæ, nec non iustificatio, seu remissio peccatorum, adoptio, atq; unio mystica. Et hæc generationis nomine complecti Petrum, inde manifestum est, quia non dicit: nos regeneravit, iustificavit, adoptavit &c. ad spem vivam, sed generatim *regeneravit nos*; nos, scilicet Petrum, ac illos, ad quos ipse scribebat.

§. VII.

Quia vero per gratiam regenerantem sese exferit virtus resurrectionis Christi, ideo addidit: *διὰ ἀναστάσεως* I. X. simul indicans, regenerationem a parte Dei esse excitationem e morte spirituali, seu collationem supernaturalis vitæ; a parte nostri, seu ratione effectus sui proximi, eandem esse resurrectionem spiritualem, per quam, prævia communionem mortis eius, per penitentiam inita, cum Christo, vivo capite, ut viva membra, cum vite viva, ut vivi palmites, coniungantur. Atque ita resurrectio Christi non tantum causam regenerationis nostræ meritoriam exprimit, sed etiam eiusdem fontem, vim atque indolem, representat, eandemque efficit. Ceterum hanc regenerationem factam esse non *ἀμείσως*, sed per verbum Evangelii, per se facile intelligitur, & v. 2. in vocibus, *ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος*, indicatur.

§. VIII.

Nec incommode voces: *εἰς ἐλπίδα ζωῆς*, ad ipsam regenerationis constitutionem referimus. Nam *ἐλπίς*, in sensu latiori sumpta, fidem complectitur, uti fides spem. Iam vero quum hic dicitur: *regeneravit nos ad spem vivam*, idem est, ac si dixisset: *regeneravit nos ad fidem vivam, spe vite æternæ fecundissimam*. Quia vero, præter notionem fidei, Petrus utique ad ipsam spei, strikte sic dictæ, & a
fide

fide distinctæ, naturam respexit, harum vocum (εις ελπίδα ζωσαν) expositionem ad sequens membrum refero.

§. IX.

Causa regenerationis finalis, uti ex analysi constat, hic Petro est vel intermedia, *spes viva*, vel ultima, vitæ æternæ hæreditas. De utroque seorsum. CAUSSA FINALIS MEDIA est ελπίς ζωσα. Spes est fiducialis expectatio bonorum futurorum, a Deo per Christum obtinendorum. Et hæc spes, proprie dicta, differt a fide

a. *Ratione ordinis*: est enim fide posterior, eius, tamquam almæ matris, sancta proles:

b. *Ratione objecti*, sed hic aliquo tantum modo. *Spes* tantum circa *mera bona* versatur: sed *fides* etiam circa *mala* occupatur, nimirum avertenda, ne spei obstent. *Spes* tantum *bonis futuris*, ut futuris, occupatur Rom. II. 24; sed *fides* futura & præsentia simul respicit, seu futura ex parte sibi iam tantum præsentia sinit, in iisque, tamquam præsentibus, recumbit, eorumque complementum per *spem* expectat. *Fides* primario Deum ipsum respicit, ut bonorum præsentium & futurorum fontem: sed *spes* præcipue respicit bona, e fonte illo promanatura. Præterea *fidei obiectum* sunt omnes revelatæ veritates ac divina dogmata; sed *spei obiectum* tantum est promissio bonorum:

c. *Ratione actus*: *Fides*, seu homo per fidem, recumbit in apprehenso Christi merito, & quibuscumque divinis promissionibus, easque sibi ad remissionem peccatorum, ad pacem ac tranquillitatem conscientiae, applicat; per *spem* vero, fide fundatam, horum bonorum continuationi ac complemento,

sancto cum desiderio votoque, inhiat. Ceterum in quo spes cum fide conveniat, meditati atque experienti facile erit obvium.

§. X.

Hæc spes dicitur *viva* non solum ab *auctore* & *obiecto*, Deo, qui ipsa vita est, sed etiam, & quidem præcipue, ratione ordinis, quo in nobis existit, qui est spiritualis vitæ, accensio per regenerationem; nec non ratione basis suæ, quantum vitæ, quæ est Christus, a mortuis *redivivens* & *triumphans*; & ratione *indolis suæ*, sui que effectus; siquidem *viva* est in homine spiritualiter vivo, & hunc quasi animat, certa que *vite* æternæ expectatione interiorum hominem alit atque corroborat; atque ita *viva* est ratione *finis*, non tantum animæ, sed etiam corporis, vitam, per resurrectionem resumendam expectans. Conf. omnino I. Cor. XV, 12. seqq. item ratione *oppositi*, seu spei mere humanæ, quæ mortua est, ac vana, hominem in spiritali ac æterna morte relinquens. Conf. Sap. III, II.

§. XI.

CAUSSA FINALIS ULTIMA est *vita æterna*, quæ proponitur sub nomine & schemate *hereditatis*, cuius præstantia quatuor epithetis declaratur: de singulis seorsum. κληρονομία proprie significat hereditatem, quæ sorte distribuitur atque aditur; & ad vitam æternam applicata, geminam habet emphasin, a *typo*, & *re hereditaria*, desumptam. *Emphasis typica* nos remittit ad considerationem terræ Canaan, Israelitis promissæ, ac sorte distributæ Num. XXVI, 55. seqq. Conf. Lev. XX, 24, Ps. CXXXV, 12. & quidem in typum cælestis Canaan, seu vitæ æternæ, per verum יְהוֹשֻׁעַ Iosua, Iesum, obtinendæ; cuius *viva* spe Apostolus Iudæos, a solo patrio, maioribus suis olim per

per fortem in peculium dato, exules, erigit ac solatur. Emphasis altera, a *re hereditaria* desumpta, præcipue declarat, quales esse debeant vitæ æternæ hæredes; nimirum Dei filii & amici ex gratia. Non enim alii, nisi liberi atque agnati & amici, habent ius hereditatis in hoc mundo: multo minus illi, qui ab *εὐδοσίᾳ* & amicitia Dei seiuncti mansere, ipsumque testatorem, Iesum Christum, haud receperunt, atque ita nec novi testamenti, æterna bona promittentis, sanguine loti sunt, vitæ æternæ hereditatem adibunt. Id quod Paulus expressis indicat verbis Rom. VIII. 17. *Εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι, ἵι filii, etiam hæredes sumus.* Conf. Gal. III. 29. it. c. IV. 30, 31. item Io. VIII. 35. Atque ita videmus, Petrum post mentionem regenerationis, qua filii & amici Dei reddimur, quam aptissime subiicere mentionem futuræ hereditatis, filiis convenientem. Sic olim Israeli, tamquam Dei filio dilecto, Exod. IV. 22, 23. cedebat Cananæa hereditas.

§. XII.

Κληρονομία vocatur *ἄφθαρτος*, *incorrupta*, corruptionis expers, qua voce commendatur ejus præstantia ab æterna duratione. Quo quid enim est durabilius, eo plerumque etiam pretiosius est: quo quid facilius corrumpitur & citius evanescit, eo vilius est. Et quidni hæc hereditas esset *ἄφθαρτος*? dabitur enim, immo ipsa consistit, in communione Dei, qui est *κατ' ἐξοχὴν ἄφθαρτος*, ideoque nil nisi, quod *ἄφθαρτον* est, in æterno sui confortio præbere & alere potest. Rom. I. 23. 1. Tim. I. 17. Nititur hæc hereditas pretioso Christi sanguine, *ἑφθαετῶ*, auro & argento, tamquam *φθαετῶς*, opposito 1. Pet. I. 18, 19: progerminat e semine *ἀφθάρτου*, verbo Dei viventis v. 23. Conferetur a Christo, qui *ζῶν καὶ ἀφθαρσίαν*

per Evangelium suum in lucem produxit 2. Tim. I, 10. Atque ita infinitis modis excellentior est quavis, etiam in suo genere præstantissima, hæreditate, quæ in hoc mundo obtingit. Ipse enim mundus totus est φθαρτός 2. Pet. III, 10, 11, 12. conf. 1. Io. II, 17. & quæ in eo sunt pretiosissima ac reliquis durabiliora, ut aurum & argentum, a Petro φθαρτοῖς annumerantur 1. Pet. 18. Conf. v. 24.

§. XIII.

Deinde κληρονομία vocatur ἀμίαντος, qua voce eius sinceritas atque puritas, omnis labe expers, die *Lauterkeit und Reinigkeit* / notatur, opposita bonis temporalibus, quæ nobis per hæreditatem obvenire solent non sine labe aliqua. Quis enim nescit, vulgo huius mundi bona corradi ac possideri cum multa avaritiæ, fraudis atque iniustitiæ, labe, & cum eadem ad hæredes transmitti polluta; ideoque his sapissime cedere in perniciem, postquam ipsis itidem animam suam polluendi occasionem dederunt. Neque immerito huius appellationis rationem referas ad ipsorum hæredum conditionem. Non enim, nisi bene lotis atque mundatis, tam pura & luculenta hæreditatis portio cedit 1. Cor. VI, 9, 10, 11. & nihil immundi intrabit in cœlestem Hierosolymam Apoc. XXI, 27. solis sanctis, qui inquinamenta huius mundi effugerunt, a Christo, qui κατ' ἐξοχήν est ἀμίαντος Hebr. VII, 27. paratam.

§. XIV.

Porro κληρονομία vocatur ἀμάραντος, non marcescens, comparata cum flore semper virente. Erit enim perpetuo vernans vitæ æternæ facies, in constanti flore, vigore, summaque gratia ac pulchritudine constituta, omnisque fastidii expers, semper nova atque delectabilis. Quæ
quum

cum huius vocis vis sit, summam illa discrepantiam indicat, qua gaudia vitæ æternæ a gaudiis huius mundi profanis distant. Etsi enim impii non raro cum tripudio resonent illud: *Nos quoque floremus*; tamen mox, gaudio in tristitiam verso, mutare coguntur vocem, ac dicere cum Poeta:

Nos quoque florimus, sed flos fuit ille caducus.

§. XV.

Denique hanc ἀληγομένην vocat τετηρημένην ἐν θραυοῖς, *conservatam*, seu *adservatam* & *repositam in calis*; & satis quidem apte ad cœptam metaphoram. Quemadmodum enim ditiores parentes liberis suis collectas opes adservant, easque in futurum recondunt, non nisi iusto tempore adeundas, atque possidendas: sic pater cœlestis ditissimus iis, quos per regenerationis & *ἰοθεσίας* gratiam adoptavit, eius gloriæ, cuius primitias, seu prægustum, hic accipiunt, ingentes thesauros adservat, certissime conferendos. Certe si in manibus nostris, nostraque custodia, futura gloria esset reposita, perderemus hanc hereditatem, in eius cura & œconomia haud prudentiores ac fideiiores futuri, quam pupilli, iusto maturius bonorum suorum domini constituti. Unde ipse Deus hanc sibi curam reservavit. Quemadmodum certo conferentur, ita etiam in æternum retinebuntur, numquam auferenda, aut diminuenda, utpote quam iustissime parta, iustoque titulo accepta. Longe alia est ratio bonorum huius sæculi, quæ quia iniuste plerumque acquisita sunt, saltem varia iniustitiæ & avaritiæ labe laborant, hereditibus raro sunt diuturna, etsi ad tempus

τετηρημένα.

§. XVI.

Neque emphasi caret forma participii præteriti τε-

τησῆν.

τηρημένη, pro forma præsentis τηρημένη. Illa enim, ex idio-
tismo sacro, immo & communi, non solum tempus
præsens ac futurum includit, sed ratione præteriti indi-
cat, hanc gloriam fidelibus iam tum ab æterno, ubi eos
κατὰ πρόγνωσιν, de qua Apostolus noster antecedenti v. 2.
elegit, esse paratam: quorum electorum numero se, ac
eos, ad quos scribebat, iure hic accenset Petrus voce
ἡμᾶς, dicens εἰς ἡμᾶς. Conf. finem versic. 18. Rom. VIII.

§. XVII.

Vox ὕφανός, Dorice ὠφανός, est ex Hebræa אור luce-
re, אור lux. Etenim lux primigenia summam fecit ex-
pansionem, unde materia mundi ætherea existit, cœ-
lum dicta, & paullo post collecta certos astrorum glo-
bos constituit; a quibus cœlum est, quod Græcis vivo-
cis Hebrææ audit, nimirum ὕφανός, lucidissimum. Et
quum beatorum sedes ipse Deus, qui ipsa æterna lux
est, Deique gloria, illustret Apoc. XXI, 23. c. XXII, 5.
hanc vocem κατ' ἐξοχήν istis convenire, manifestum est.
Ceterum quia Hebræorum אור numero singulari car-
ret, etiam scriptores N. T. suum ὕφανός sæpe in plurali
effecerunt. Et in cœlo hæreditatem nostram adservari,
quando dicit Petrus, eius indicat 1. sublimitatem & ex-
cellentiam; 2. certitudinem ac perpetuitatem, possessio-
ne terræ Canaan longe firmiorem; siquidem illa exter-
næ hostium violentiæ & rapinæ sæpe exposita fuit; 3. ma-
nifestationem plenam, certo futuram. Hæc hæctenus
de versiculo 3. & 4. pergimus ad 5.

§. XVIII.

Deus vero solus est causa, uti inchoati, sic etiam
continuati ac consummati, boni status atque operis.
Quando autem non simpliciter Deus dicitur nos con-
servare,

servare, sed *δύναμις Θεῶν*, *potentia Dei*, indicatur huius beneficium, quod Deus nobis per spiritualem conservationem præstat, magnitudo & excellentia. Cuius *δενώσεως* rationem & analogiam deprehendimus in regno naturæ. Quemadmodum enim non minus rerum creaturarum conservatio, cum admiranda providentia ac gubernatione, quam ipsa creatio, est opus Dei omnipotentis; sic in regno gratiæ non solum regeneratio, quæ quasi quædam nova creatio est, sed etiam conservatio tribuenda est divinæ virtuti ac potentiæ. Indicatur vero divinæ potentiæ mentione simul summa naturæ nostræ corruptio, summa nostra impotentia, summa difficultas; indicantur summa pericula & obstacula, nos a cæpto tramite abductura, si nobis solis maneremus relictī: quæ ut superemus, divina opus est *δυνάμει*.

§. XIX.

Exserit autem sese hæc *δύναμις ἐν τῷ Φεζεῶν* *custodiendo*. *Φεζεῶν* proprie est custodia bellica, præsidium militare, *Φεζεῶν* miles præsidiarius, in excubiis positus, sic dicitur a *πρό* & *ὄραω* video; unde est verbum *Φεζεῶν*, *circumspiciendo*, *hostemque observando*, *præsidium teneo*, seu *custodio*; qua in significatione occurrit 2. Cor. XI, 32. ubi dicitur: *ethnarcha Areta regis ἰΦεζεῶν, præsidium tenebat, custodiebat, urbem Damascenorum*. Deus ergo ipse suos dignatur ac tuetur præsidio suo, agnoscens, illos variis internorum atque externorum hostium insultibus obnoxios esse, & his facile fore prædæ, ac insidiis, aut apertæ vi, succubituros, nisi suo eos munimento tutos præstaret. Atque ita *Φεζεῶν* sunt divinis præsidis undiquaque circumvallati ac muniti, quasi in ipsius Dei castris munitissimis positi. Complectitur hæc *δύναμις Θεῶν Φεζεῶν*

C

omnia

omnia ista Dei beneficia ac charismata, quæ pertinent ad internū hominis nutrimentum ac corroborationem, nec non ad periculorum propulsationem, lucetamque victoricem. Certe est nomen Domini arx munitissima, iustus in refugium ac præsidium data. Proverb. cap. XVIII, 10. Conf. Pl. XCI, 1, 2. item Pl. XXIII, 4. XLV, 2, 8, 12. Deut. XXXII, 4.

§. XX.

Quia vero hæc Dei conservatio non absoluta est, sed ordinata, in certo salutis ordine, qui fidelitatem nostram requirit, sese exferens; additur conservandi medicum a parte nostri, quod est *fides*: dicitur enim: *διὰ πίστεως*. Sensus est, fidem, a Deo conservatam, esse quasi illud haurium, quo ex plenitudine Iesu, divinæque *δυναμεις*, hauriamus *χάριτι ἀπὸ χάριτος*, seu vires subinde novas. Io. I, 16. esse illam manum, qua *πανοπλίαν* Dei adsumtam nobis induamus, eaque adversus hostes stemus immoti atque invicti. Deprehendimus huius rei imaginem in regno naturæ. Hic enim Deus nobis promittit suam curam, nostrique conservationem, sed in laboris ac prudentiæ nostræ ordine: sic nos divinæ *προνοίας* *δύναμις* alit, sed per laborem nostrum. Eadem est ratio fidei, quæ divinæ potentiæ est subordinata. Deus nobis, per huius vitæ mare in portum vitæ æternæ tendentibus, promittit ventum Spiritus sui secundum, sed hac eum conditione, ut fidei ac fidelitatis nostræ vela divinæ auræ explicemus, nec inducendis pro re nata remis simus ignavi. Quod si hic conferamus locum e Gal. III, 23. *πρὶν ἢ veniret fides, ὑπὸ νόμῳ φεραμένοι, sub legis custodia tenebamur, συγκλεισμένοι, conclusi; deprehendá-*

hendimus; hinc loci Petrini emphasin augeri. Etenim pro praefidio legis commendatur Evangelii & fidei praefidium multo validius: additur autem a Paulo τὸ συγκλεισμένοι, quia urbes, praefidiis munitae, etiam conclusae tenentur.

§. XXI.

Scopus divinae custodiae est σωτηρία, salus, a Salvatore Iesu, σωτήρι, sic dicta, eaque h. l. non inchoata, sed consummanda, & consistens partim in privatione omnis mali, corporalis & spiritualis, partim in summa omnis summe boni accumulatione. Notandus est hic adfectus Petri, una cum scopo. Adfectus erat plenus plerophoria vivaque spe vitae aeternae, ductus in sanctam eius admirationem; & hunc prodit, quando, quod praeter ἐλπίδα ζώσαν v. 3. vocaverat. v. 4. κληρονομίαν ἀφθαρτον καὶ ἀμίαντον & ἀμάραντον, nunc emphaseos gratia ex abundantia repetit, & vocat σωτηρίαν, salutem. Hanc vero sermonis δέλωσιν requirebat scopus, qui erat, Judaeos (quippe qui plurimam eorum, ad quos Petrus scripsit, partem constituisse videntur) conversos, atque variis modis afflictos, consolari. Praeterea quam salutem paullo ante dixerat τετηρημέην ἐν θησαυρίσ, nunc dicit ἐτόιμην ἀποκαλυφθήαι, paratam, ut manifestetur, significans, salutem non esse inftar thesauri, qui in terram defod iatur, seu ita recondatur, ut numquam promatur; id quod huius mundi thesauris non numquam evenire solet; sed esse thesaurum, non nisi certae manifestationi ad tempus repositum. Mortalitatatis atque infirmitatis nostrae ratio habet ἐπιβάλυμα, quo deposito, plenam habebimus plenae salutis ἀποκάλυψιν, Deum visuri a facie ad faciem, uti est. Quae gloria revelatio piis ita continget, ut impiis, quodammodo eminus conspicua, cedat in terrorem, sanctis au-

tem angelis in gaudium, Deoque in *δοξολογίαν*. Quando autem fiet hæc revelatio? *ἐν καιρῷ εσχάτῳ*, in extremo die, dudum expectato: qui etiam multis videri posset iusto diutius protrahi, adeoque sero venturus, tamen erit *καιρὸς*, tempus opportunum, universali rerum periodo quam sapientissime destinatum.

SECTIO SECUNDA

De

P A R A L L E L I S M O

LOCI PETRINI.

§. I.

Eυλογητός &c. Cum eadem *δοξολογία* Paulus inchoat epistolam ad Ephesios c. I. v. 3. nec non posteriorem ad Corinthios c. I. 3. Huc refer *ευχαρισίαν* in aliis epistolis. salutationi proxime subiunctam, ut Rom. I. 8. 1. Cor. I. 4. Phil. I. 3. Coloss. I. 3. 1. Thess. I. 2. 2. Thess. I. 3. 2. Tim. I. 3. Philem. v. 4. Imitati vero sunt Apostoli *εὐλογία* sua Hebræos, eorumque *בְּרִיךְ* expresserunt, utpote quibus Deus *κατ' ἐξοχὴν* est *בְּרִיךְ* *benedictus ille*. Conf. Marc. XIV, 61. Luc. I, 68. Rom. I, 25. c. IX, 5. 2. Cor. XI, 31. item Matth. XXI, 9. XXIII, 39.

§. II.

τὸ πολὺ ἔλεος, *multa misericordia*, effertur per *σπλάγχνα ἐλέως* Luc. II, 78. per vocem *οικτιρῶν τῶ θεῷ*. Rom. XII, 1. porro vocatur *δόξα τῆς χάριτος* *gratia gloriosissima*; immo *πλάτος τῆς χάριτος*, *abundantia* seu *divitiæ gratiæ* Eph. I, 6, 7. conf. c. II, 4. ubi Deus dicitur *πλάσιος ἢ ἐν ἐλέει*, *dives misericordia*, propter multum amorem, quo nos complexus fit; ipsique tribuitur *ὑπερβάλλαν πλάτος τῆς χάριτος* *abundantes divitiæ gratiæ* v. 7. Conf. Pl. II, 3. CIII,

CLIII, 4, 8, 13. Ceterum synonyma ἐλέως sunt ἀγάπη, χάρις, χρηστότης Φιλανθρωπία, passim in sacro codice obvia, ac rem eandem, licet interdum diverso respectu, non sine emphasi exprimentia.

§. III,

ἀναγεννησας ἡμᾶς, *regeneravit nos*: idem quam significantissime exprimitur Jo. III, 3. seqq. Tit. III, 4, 5. i. Pet. I, 23. Jac. I, 18. Synonyma regenerationis sunt ζωοποίησις Eph. II, 5. V, 14. Col. III, 1. ereptio e potestate tenebrarum, & translatio in regnum filii amoris Col. I, 13. cui respondet μεταβάσις, transitus e morte in vitam, i. Jo. III, 14. *nova creatio* Eph. II, 10. κ. τ λ Præterea τὸ *regeneravit nos* Paulo est: *gratia data nobis est in Iesu Christo*, i. Cor. I, 4. *benedixit nobis omni benedictione spirituali* Eph. I, 3. *salvati sumus spe* Rom. VIII, 24. De regeneratione per resurrectionem Christi vide Eph. I, 19, 20. c. II, 1, 5. Rom. VI, 4. seqq. conf. i. Pet. III, 21.

§. IV.

ἐλπίς ζωῆς Paulo dicitur ἐλπίς ζωῆς αἰωνίης, *spes vite eterne*, Tit. I, 2. III, 7. *spes beata*. Tit. II, 13. *spes glorie* Rom. V, 2. Col. I, 27. *spes firma* 2. Cor. I, 6. *spes iustitie* Gal. V, 5. *spes vocationis* Eph. I, 18. *spes salutis*, i. Theff. V, 8. *spes bona in gratia*. 2. Theff. II, 16. *gloriatio spei* Hebr. III, 6. *plerophoria spei* c. VI, 11. *ancora anime tuta & firma* c. VI, 19. Habere spem vivam, Paulo Rom. XV, 13. est περισσῶσιν ἐν τῇ ἐλπίδι, *abundare spe*.

§. V.

κληρονομίας auctor est Iesus Christus Gal. IV, 7. Tit. III, 6, 7. qui uti ipse eam secundum humanam naturam adiit, sic nos reddit cohæredes Rom. VIII, 17. κληρονομίας præstantia describitur Matth. V, 3. seqq. Vocatur *ihesus*

rus, immo thesaurorum cumulus, in cælo colligendus, quem nec fures rapiant, nec blattæ confumant, adeoque est ἀφθαρτῶς Matth. VI, 20. πλῆτῶς δόξης τῆς κληρονομίας, divitiæ gloriæ & hereditatis in sanctis Eph. I, 18. corona gloriæ non marcescens 1. Pet. V, 4. corona iustitiæ 2. Tim. IV, 8. Conf. 1. Cor. IX, 25. εὐλογία 1. Pet. III, 9. Huc imprimis refer illud Christi Matth. XXV, 34. δεῦτε, κληρονομήσατε νε-
nite, benedicti patris mei, in hereditatem accipite βασιλείαν, regnum Dei, τὴν ἐτοιμασμένην, preparatam ante iacta mundi fundamenta. Quod Petro est τετηρημένη, adservata, reposita, id Paulo est habere ἀποκείμενον τῆς δικαιοσύνης σέφανον, repositam iustitiæ coronam 2. Tim. IV, 8. item esse certum de deposito, in cælis adservato 2. Tim. I, 12. & posthac κληρονομήν ἀφθαρσίαν i. e. κληρονομίαν ἀφθαρτον 1. Cor. XV, 50. ideoque excitabimur etiam ἐν ἀφθαρσίᾳ v. 42. Conf. 1. Pet. III, 9

§. VI.

δύναμις θεῶ Φερεῖσα nihil est aliud, quam τὸ πολὺ ἔλεος δυνατὸν, v. 3. multa & potens Dei misericordia. Quod vero hic Deo tribuitur, Rom. I, 16. dicitur de Evangelio Dei, ubi illud vocatur δύναμις θεῶ εἰς σωτηρίαν, potentia Dei ad salutem, & quidem pro Petro, διὰ πίστεως, additur: παντὶ τῷ πιστεύοντι, omni credenti Conf. 1. Cor. I, 18, 24. Paulus Rom. XV. 13. potentiam Dei vocat potentiam Spiritus Sancti, ex eaque derivat Φερεῖαν egregiam, consistentem ἐν πληρώματι πάσης χάριτος καὶ ἐξήνης, item in abundantia spei, non minus, quam Petrus, requirens fidem, quando addit: ἐν τῷ πιστεύειν. Sic conseruationem thesauri, qui Petro est ἐλπίς ζωῆς, quam gerimus in vasis testaceis, 2. Cor. IV, 7. refert ad ὑπερβολὴν τῆς δυνάμεως τῆ θεῶ, ad abundantem Dei potentiam Conf. 1. Cor. VI, 7. Quod si quis semetipsum deprehendat infirmum
ad

ad perseverandum ac semetipsum conservandum, *δύναμις Θεῶν ἐν ἀδυναμίᾳ τελειύεται*, potentia Dei in hac infirmitate perficitur, seu sese perfecte exferere potest, 2. Cor. XII, 9. utpote cum in finem admitta. Quod non posset, si homo suam infirmitatem non agnosceret; tunc enim nec admitteretur: immo *δύναμις Φερεῖσα* dicitur ibidem *ἐπισκηνώσα ἐφ' ἡμᾶς*. Porro Paulus, huius *δυνάμεως* vim atque *ἐνεργειαν* expressurus, eam Eph. I, 19. vocat *τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως*, excellentissimam magnitudinem potentie illius, *ἐξηγητικῶς* ibidem addens, eam esse *ἐνεργειαν τῆς κρείττης τῆς ἰσχύος τῆς Θεῶν*, efficacissimum robur divine fortitudinis, nos ad fidem adducentis, & in eadem confervantis.

§. VII.

Idem Paulus regentis, ut perseverarent in via ad salutem, precatur, eos, *κατὰ πλῆτον τῆς δόξης τῆς Θεῶν, κραταιωθῆναι ἐκ πνεύματος αὐτῆς εἰς τὸν ἔσω ἀνθρώπων*, ut secundum divitias glorie Dei fortitudine corroborentur per Spiritum Sanctum in internum hominem Ephes. III, 16. conf. v. 17. & 20. Eosdem vocat *ἐν πάσῃ δυνάμει δυναμυμένους κατὰ τὸ κρείττος τῆς δόξης αὐτῆς*, omni robore corroboratos, secundum potentiam glorie illius Col. I, 11. conf. v. 10. optans, ut Deus compleat opus fidei *ἐν δυνάμει*, cum potentia, seu quam potentissime 2. Thess. I, 11. Conf. 2. Tim. I, 8. Ipse Petrus testatur, fideles, per potentiam Dei *Φερεμένους*, accepisse *πάντα τῆς βίας δυνάμεως αὐτῆς*, omnia divine potentie, ad vitam & pietatem necessaria 2. Ep. I, 3. ideoque eos hortatur, ne excidant *ἐκ τῆς ἰδίας τηριγμῆς*, e proprio munimento c. III, 17. Nec pratermittendus hic est locus Marc. IX, 23. ubi Christus adfirmat, omnia esse *δυνατὰ πιστεύοντι*, significans, potentiam Dei non agere absolute, sed cum certo fidei ordine Conf. Rom. XIV, 4. E. qui-

quibus locis, hætenus adductis, videmus, Apostolos non sine divina adfectus *δυνάμει* loqui de ipsa hac *Φερεσση δυνάμει*. Quæ quum solius Dei sit, eam ipsi non immerito quotidie acceptam ferimus, quando orationem Domini hoc voto claudimus: *σὺ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα, tua est potentia & gloria in sæcula. Amen!*

§. VIII.

Ceterum notandum hic est, illud, quod a Petro tribuitur *δυνάμει* *Θεῷ*, a Paulo tribui *paci divinae*, quando: *Pax, inquit, Dei, quæ superat omnem intellectum, Φερεσση τὰς καρδίας ὑμῶν, custodiet corda vestra & sensus vestros in I.C. Phil. IV. 7.* Ubi quod paci adscribitur, ipse agit Deus pacis. Notamus autem hic custodiendi modum, qui est *εἰρηνικός*, pacificus, in pace. Deus enim paucis ita custodit atque tuetur corda fidelium adversus hostium insultus, ut hi pacem ipsorum internam, qua fruuntur, interturbare, saltem auferre, non possint: atque ita pax Dei eos munit in pace ad pacem conservandam. Et quod Petro erat *διὰ πίστεως*, hic Paulo est *ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*. Fides enim acquiescit in Christo, per Christum in eodem perseverans. Impono huic *Φερεσση* parallelismo finem loco illo egregio Petrino, quo Cap. V, 10. fidelibus perseverantiam exoptat: *Deus, inquit, omnis gratiæ, qui vocavit nos ad æternam suam gloriam per Iesum Christum, ipse vos, parumper adstrictos, καταστρίσαι, στερεῖσαι, θεμελιώσαι, instauret, stabiliat, roboret, fundet.*

§. IX.

De salute, *ἐτοίμη ἀποκαλυφθῆναι*, agit Christus Matth. XXIV & XXV, commendata simul perseverantia; nec non Paulus Rom. VIII, 18. ubi eam vocat *δόξαν μέλλουσαν ἀποκαλυφθῆναι*, inde fumens argumentum consolationis sub

sub cruce Conf. I. Cor. I, 8. ubi itidem *βεβαίωσιν* fidelium coniungit cum manifestatione gloriae Christi, & illam ad hanc refert: item Phil. III, 20, 21. Col. III, 4. ubi *ἀποκάλυψιν σωτηρίας* vocat *φανέωσιν* *κρείττης ζωῆς ἡμῶν* (σωτήρος Phil. III, 20.) addens, *nos una cum Christo manifestatum iri in gloria.* Idem tradit I. Thess. III, 13. itidem urgens perseverantiam: quam quanta cum emphasi e potentia Dei derivet, & usq; ad manifestationem gloriae referat c. V, 23. iucundissimum erit tacita meditatione secum recolere: *Ipse Deus pacis* (ipsi Deo pacis tribuens, quod Phil. IV, 7. paci Dei tribuerat) *sanctificet vos* (fit ergo τὸ *ἁγιαζέω* per τὸ *ἀγιάζω*) & *integer vester spiritus* (ὁλόκληρον πνεῦμα ad ὁλοκληρίαν σωτηρίας tendens) & *anima* & *corpus*, ἀμέμπτας, ita ut non possitis reprehendi, in adventum Domini nostri Iesu Christi (ubi ἀποκάλυψιν σωτηρίας) *servetur.*

§. X.

Quam vero illustris futura sit σωτηρίας & ipsius σωτή-
 ρ^ς ἀποκάλυψις, in primis respectu piorum, qui hic sub
 afflictione perdurarunt, egregie describit 2. Thess. II. v. 7. *veniet enim*, inquit v. 10. *ἐνδοξαθήσεται ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτῷ ut gloria-
 riosus sit in sanctis suis, & θαυμαθῆναι ἐν πᾶσι τοῖς πιστεύουσιν,*
 & *admirandus fiat in omnibus credentibus*, Conf. v. 11. 12. &
 c. II, 8. Sic ἀποκάλυψις σωτηρίας Paulo Tit. II, 13. est ἐπιφά-
 νεια ipsius Iesu Christi, σωτήρ^ς, *servatoris*, qui ibidem di-
 citur *Deus magnus.* Ipse ergo σωτήρ σωτηρίαν manifesta-
 bit. Nec minus egregie hac de re agit Ioannes I. Ep. c.
 III, 2. conf. c. II, 28. Huc κατ' ἐξοχήν refer multa loca ex
 Apocalypsi Iesu Christi Ioannae, inprimis c. XIX, XX,
 XXI, XXII. Ex his locis simul constabit parallelismus
 vocum: ἐν καιρῷ ἐσχάτῳ, quod tempus alias vocatur
 ἐσχάτη ἡμέρα, *extremus dies* Io. VI, 39. seqq. XI, 24. c. XII,

D

49 Pau-

48. Paulo Rom. II, 5. respectu impiorum dicitur *dies iræ* & ἀποκαλύψεως δικαιοκρισίας ἔθελ. Conf. vers. 16. & Act. XVII, 31. κατ' ἐξοχήν *dies Christi* 2. Theff. II, 2.

SECTIO TERTIA

De

USU ET APPLICATIONE
LOCIPETRINI.

Ufus v. 3, 4.

Ufus didascalico - elenchticus.

1. **Q**ui non agnoscit Deum, ut patrem Domini nostri Iesu Christi, & ut patrem suum, is plane non agnoscit eum.
2. Homo natura longe est corruptissimus, quia regeneratione, tamquam intima sanatione, eget.
3. Corruptio naturæ nostræ non est inducta ex consuetudine, uti volebant Pelagiani, sed ex generatione naturali; quia opus est regeneratione.
4. Regeneratio est opus solius Dei, ad quam dispositio nostra, nostraque merita, nihil conferunt, uti errant Pontificii, & olim Pelagiani, in primis Semipelagiani. Solus enim Deus dicitur nos regenerare, & quidem κατὰ πολὺ ἔλεος.
5. Vita æterna nobis obtingit gratis, citra meritorum respectum. Dicitur enim hæreditas, & quidem iam tum parata, danda filiis, ex mera misericordia regentis, ex mera gratia adoptatis.
6. Peculiare providentiæ divinæ obiectum sunt fideles: his enim Deus iam ab æterno præparavit hæreditatem; ad eamque adeundam iis ipse viam parat ac monstrat.

7. Atheis

7. Atheis, paganis, scepticis, ipsorumque strophis, merito opponimus religionis Christianæ præstantiam, demonstrandam ab optimo auctore, Deo misericorde; ab optimo fine, summo bono in hæreditate incomparabili; ab optimis mediis ad finem perveniendi, gratia regenerante ac renovante; ab ipso adeundi modo optimo, qui tendit per spem vivam.

8. Gravissime errant hodierni Judæi, qui præ desiderio hereditatis in Canaan præposterò, spiritualis κληρονομίας ordinem ac studium negligunt, ideoque, ἐν τῇ διασπορᾷ viventes, non eo adnituntur, ut fiant Dei domestici.

Usus Epanorthotico-pædeuticus:

1. Qui Deum ob beneficia gratiæ, & inprimis regenerationis ad spem vitæ æternæ vivam, cum Petro non celebrat, se nec eorum factum esse participem, eo ipso demonstrat.

2. Si Christus est Dominus noster, eum honoremus, colamus, ei unice servientes. Conf. Matth. VI, 24. 1. Cor. XII, 3.

3. Qui existimat, se per regenerantem & adoptantem gratiam multum misericordiæ esse adsecutum, id demonstrat necesse est adfectu & effectu misericordiæ erga alios homines. Immisericors enim erga alios qui est, is nec Dei misericordiam recte agnoscit, nec ea fruetur umquam, nisi per eandem mature regeneritus fuerit.

4. Magnus est divinæ misericordiæ abusus, ea citra regenerationis ordinem uti, ad eamque in ipso naturæ corruptæ cursu haud inhibito, nec inhibendo posthac, provocare.

D 2

5. Ne

5. Ne spes nostra sit irrita & imaginaria, exploratio-
ne opus est, an eam e nostris viribus, an vero e regene-
rante gratia, acceperimus. Nam spes, quæ ex hoc fonte
non derivata est, nos in fine destituit, *κατασχόνουσα*
Rom. V, 5.

6. Tendendum nobis est e spirituali Ægypto per hu-
ius vitæ deserta, sub spe viva, ad cœlestem Cananæam,
κληρονομίαν æternam.

7. Qui desiderat *κληρονομίαν*, semetipsum probe excu-
tiat, an revera sit regenitus, & num per *ύιοθεσίαν* filiorum
atque amicorum Dei iura acceperit. Nam soli filii & a-
mici Dei regni divini hæreditatem adibunt. Conf. Gal.
IV, 30.

8. Qui exoptat hereditatem *ἀφθαρτον*, effugiat, neces-
se est, *τὴν φθοράν*, quæ est in pravis huius sæculi cupidita-
tibus 2. Pet. I, 4. Deoque serviat *ἐν ἀφθάρτῳ* 1. Pet. III, 4.
ametque Christum *ἐν ἀφθαρσίᾳ* Eph. VI, 24. etiam in do-
ctrina Evangelica *ἀδιαφθορίαν* seu *ἀφθαρσίαν*. Tit. II, 7.

9. *κληρονομία* est *ἀμίαντος*, ideoque nos futuros hære-
des admonet, vt effugiamus *μιάσματα* mundi 2. Pet. II,
20. *μιασμὸν* in cupiditate v. 10. *μολισμὸν* carnis & spiritus
2. Cor. VII, 1. & detestantes tunicam pollutam Ep. Jud. v.
23. quæ est *μεμιασμένον* v. 2. & *σπιλάδιον* v. 12. conf. Tit. I,
15. studeamus castitati & puritati 1. Jo. III, 3. sine qua nemo
videbit Dominum Hebr. XII, 14. Conf. Matth. V, 8. Deo
cultum præstantes *ἀμίαντον* Jac. I, 27. Sic fideles, futuri
hæredes, sunt virgines castæ, soli Christo nuptæ 2. Cor.
XI, 2. incorruptæ & agnum secutæ Apoc. XIV, 4. qua-
rum unaquæque *ἐν τῷ αἰῶνι σεφανοφοῦσα πομπέει, τὸν*
τῶν αἰώντων ἀθλων ἀγῶνα νικήσασα, Luth. prænget im-
ewigen Krans und behält den Sieg des keuschen
Kampffs.

Scampis. Sap. IV, 2. Polluti regni divini hereditatem haud adibunt. I. Cor. VI, 9, 10. Gal. V, 21. Futura *κληρονομία* sanctorum est Col. I, 12. Act. XX, 32.

10. Quid capimur pulchritudine rerum creatarum, humanaq; gloria, quam tamen novinius esse florem periturum? qui sapit, florem futurae *κληρονομίας* appetit, numquam marcescentem Conf. I. Pet. I, 24.

11. Qui credit, hereditatem locupletissimam reconditam esse in caelis, obliviscitur, quae retro sunt, ad scopum suum alacriter contendens, illique inhians. Conf. Phil. III, 14. c. I, 23. Col. III, 1. Rom. VIII, 23. I. Cor. IX, 24, 25. 2. Cor. V, 2, 3, 4.

Usus Paracliticus.

1. Solationum fons regenitis est, se ex gratia regenerationis Deum, Patrem Iesu Christi, etiam invocare posse *suum patrem*: item, se vivere tutos sub praesidio Christi, tanquam *Domini sui*.

2. Qui in vera poenitentia lucta ob peccatorum suorum multitudinem afflicus est, animum ne despondeat, sed erigat, multitudini peccatorum *πολλὴ ἔλεος*, multitudinem gratiae multo exuberantiorē opponendo, conf. Rom. V, 20. Huc refer loca de divitiis & visceribus misericordiae, supra adducta.

3. Quis mortem velit reformidare corporalem, si, e morte spirituali per regenerationem excitatus, vitam concepit spiritualem, & cum hac vivam aeternae vitae spem?

4. Neque sepulturam & corruptionem corporis nostri cur exhorrescamus, causa adest, postquam de resurrectione Christi nobis per fidem ac spem vivam certo constat, certique scimus, nos prodituros esse *ἐν ἀφθαρσία*. I. Cor. XV, 42, 52, 53, 54.

5. Bono

5. Bono etiam animo esse possumus, nec debemus contristari perseverantiæ nostræ metu; siquidem Deus non solum boni operis initium in nobis fecit per regenerationem, sed illud etiam per spem vivam alere atque augere intendit, nostramque salutem in sua ipsius manu posuit, in cœlis adservatam.

6. Quidni de salute sua certi sint vere pii, quum ex regenerationis & *ἰοθεσίας* gratia iam tum habeant *ἀρρα-
βάνη τῆς κληρονομίας*. Conf. Eph. I, 14.

7. Optimum in hæreditatis terrenæ iactura solatium est hæreditas in cœlo reposita.

8. Qui ætate ingravescente virium suarum deminutionem sentit, senectutis tædia, quæ post iuventutis florem & post virilis ætatis vigorem obrepunt, soletur hæreditatis semper virentis recordatione, eaque ut animo virescat, det operam. Conf. Pf. LXXIII. 26. & in primis 2. Cor. IV, 16. *Si externus noster homo διαφθείρεται, corrumpitur, internus in dies renovatur.*

9. Egenorum, quibus nulla terrenæ hæreditatis opumq; spes est, solidissimum est solatium in expectatione amplissimæ hæreditatis cœlestis. Conf. omnino Iac. II, 5.

10. Tandem, qui vicerit per spem vivam, *κληρονομήσει πάντα*, hæreditatem omnium adibit. Apoc. XXI, 7.

Ufus v. 5.

1. Doctrina de christianorum perseverantia, christianissimo desultorio opposita, permagni est momenti, utpote in sacris litteris quam creberrime inculcata, immo summe necessaria, ideoque maiori cum studio, quam vulgo fieri solet, urgenda.

2. Sed contra prudentiam didacticam methodumque

que apostolicam agit, qui perseverantiam urget apud illos, qui nondum solida Christianismi initia poluere in regenerationis ordine.

3. Regeniti possunt, si fideliter vigilant, iam inde a regenerationis suae tempore usque ad beatam mortem abstinere a peccato proæretico ac dominante, seu gratiam excutiente. Est enim dominantis peccati fuga ad perseverantiam necessaria. Plenius deductam vide hanc materiam Antibarb. Part. III. p. 193. seqq.

4. Ineptissimus est infirmitatis humanæ prætextus, solido renovationis studio oppositus, quandoquidem *δυναμὶς τῆ θεῶ* nos infirmos reddere vult *δυνατὸς*. Conf. Phil. IV, 13. Vide Antib. Part. III. p. 222. seqq.

5. Minetur caro nostra defectionem, mundus deceptionem, satanas ereptionem, quid tum? potentia Dei *Φερεῖσα* longe est maior quavis hostium tentatione. Conf. 1. Cor. X, 13.

6. Cavendum autem sedulo, ne caro nostra (liceat mihi in re sacra adhibere voces, quas Spiritus Sanctus usui nostro consecravit) pugnae pertaxa cum hoste externo conspiret, ipsique tradat cordis ac fidei munimentum, atque ita animus *τῷ ἰδίῳ σηγριμῶ* excidat. 2. Pet. III, 17.

7. Quemadmodum Deus per potentiae suae *Φερεῖσης* exercitium demonstrat, se esse *πιστὸν*, fidem in nobis tuendis; sic etiam nos sustinamus ipsi *πιστῶν* fidem nostram, & in fide nos ipsos *πιστὸς*, vide 1. Cor. I, 9. 1. Thess V, 24. 2. Thess. III, 3, ubi itidem predicatur Deus *πιστὸς*, & quidem nos *σηρίζων καὶ φυλάσσων ἀπὸ ἑσωνηῶν*, nos confirmans & custodiens a maligno; que est egregia synonymia *δυναμείως Φερεῖσης*, custodientis *πιστὸς*, fideles servos & æconomos, Luc. XII, 42. seqq.

8. Quicumque non digne utitur gratia custodiente, ille

ille etiam regenerante excidit. Vigilemus ergo & laboremus. Habenti enim & bene utenti dabitur. Matth. XIII, 12.

9. Qui perit æternum, sua ipsius culpa perit, gratiæ custodienti & conservanti sese subtrahens Conf. 2. Tim. II, 11, 12, 13. Resonet ergo in auribus & animis nostris illud Christi: *Esse fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Apoc. II, 10. Conf. v. 25. & c. III, 11. it. Matth. XXIV, 13. Hebr. III, 6.

10. Quicumque, gratiæ *Φερέσης δυνάμει* subnixus, perseverat usque ad finem beatum, audiet aliquando lætissimam Christi vocem: *ἔνθα δάλε ἀγαθὴ ἢ πιστὴ, Ecce serve bone & fidelis, intra in gaudia Domini tui.*

11. Status animi aridus & adflētus, modo adsint veræ regenerationis & fidei criteria, non est signum iræ, gratiæ gustum subtrahentis, sed character animi luctantis sub infirmitatis & tentationis velamine, quod *σωτηρία ἐτοιμη ἀποκαλυφθῆναι* aliquando removebit.

12. Si quis intra se deprehendit regenerantis & conservantis gratiæ criteria, nec tamen a pseudo-christianis, eorumque ducibus ac doctoribus cæcis, pro vere regenito habetur, sed potius heterodoxi, fanatici aut hypocritæ scommate traducitur; æquo hoc ferat animo, perpendens, iam nondum esse tempus *ἀποκαλύψεως*, sed *ἐπικαλύμματι*, quo falsæ verorum speciei, vera autem falsorum nomine, contegi solent. Futura apocalypsis omnia hæc reteget, etiam regeneratorum *ὁμοθειῶν* in apricum productura. Conf. Rom. VIII, 23.

& Sap. V, 1. seqq.

S. D. G.



JJ 5225

ULB Halle

3

002 698 757





st

Ms 18

Mt:







DISSERTATIO EXEGETICA
DE
REGENERATIONE
AD
SPEM VIVAM
VITAE AETERNAE,

Ab Apostolo Petro Epistola I. Cap. I.

v. 3, 4. 5. descripta:

Quam,

IN REGIA FRIDERICIANA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENBURG. DUCAT. MAGDEB. GUBERNAT.

& reliqua,

PRAESIDE

JOACHIMO LANGIO,
SS. THEOL. PROF. PUBL. ORDIN.

Die XIX. Dec. hujus exeuntis M DCCX anni,

responsione publica

defendet

LEVINUS ~~Seigel~~ / Gardelegiensis,
Sacrarum Litterarum Cultor.

HALÆ MAGDEBURGICÆ

Litteris CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.

11

al.

